



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Fame puniri superstitiosos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

est fames, tam atrox in ea supplicium, ut præ ea David potius elegerit ipsam pestilentiam grassationem. Ite, qui pecunias, qui amicos, qui saniores, qui potentias vestras numeratis & iactatis, vobisque ipsis de multitudine plauditis: Fames vobis cristas adimet, & veteres auias de pulmone reuellet. Inedia & vultum pariter, & fastum deuastabit. Nec mirum est, si multi, qui vocari volunt Patres conscripti, sunt simul etiam esuritionum patres.

Superstitio quoque, & idolorum demonumque cultus fame corrigitur. Sic quando, cælo clauso, pluuia negata est agris, *famesq;* fuit *vehemens in Samaria*, impius quidem Achab Eliae calumniam impedit, sed per jugulum suum redituram. *Venit Achab in occursum Eliae. Et cum vidisset eum, ait: Tunc es ille, qui conturbas Israël? Et ille ait: Non ego turbavi Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Inde sacrificijs, inter Eliam, & Prophetas Baal, certatum, Prophetæque Baal ad vnum omnes interfecti sunt. Reducto veri Dei cultu, etiam pluuia reducta est, fertilitasque redijt agrorum. Quare, occisis sacrificulis, *ait Elia ad Achab: ascende, comede, & bibe: quia sonus multa pluuia est.* Cecidit ergo imber, & seges erecta panem peperit, famem pepulit. Videris, vnde petenda sint alimenta? de cælo: non ex orci furno. Quid ergo mirum est, sagas, & magas semper ferè pauperes & famelicas, neque in ipsis suis impijs mysterijs nuptijsque Tartareis, saturari, epulisque vmbaticis toties aut nefandis deludi? Fame eas vexat, cruciatque Alastor, Deus autem fame ad se inuitat, sicut Filium prodigum fame à siliquis porcorum, ad panem mercenariorum inuitauit. Ille enim est Paterfamilias & rex, qui quotidie clamat, prandium suum, cœnamque suam esse paratam, sed nimis multi se incipiunt excusare. Siliquis porcorum magis, quàm cæli ambrosia, pater-  
noque pane delectari.

Mirissima res, fame aues cicurantur, domantur leones, ipsi dracones discunt humanitatem; & sunt homines, qui cum in abundantia ciborum exorbitent, etiam ipsâ penuriâ non sinant se erudiri? Enimvero licet plurimi adeò indurati sint, ut non sentiant, cum percutiuntur; sunt tamen haud pauci etiam, qui, post ictum, sapiant, & per famem discant iustitiam sitire & esurire:

VIII.

3. Reg. 18. 16.

Matth. 22. 48

Luc. 15. 17.

-IX.